

MONITVM

- A* codex Parisinus Latinus 1622, saec. IX (Agobardinus). Continet cap. I-XXI. Folia in margine adnotauimus.
- L* litterae his uncinis inclusae in *A* uetustate euauerunt.
- D* codex Ambrosianus G 58 sup., olim Bobiensis, saec. X-XI. Continet cap. IX-XXIX.
- B* editio princeps Martini Mesnartii, Parisiis, 1545 (codice Agobardino superstructa).
- Gel.* editio Sigismundi Gelenii, Basileae, 1550.
- Pam.* editio Jacobi Pamelii, Antuerpiae, 1579. Gelenii et Pamelii uariae lectiones adnotantur quae discrepant a *B*.
- Rig.* editio Nicolai Rigaltii, Parisiis, 1634.
- Muratori* editio Ludouici Antonii Muratori, Patauii, 1713.
- RW* editio Augusti Reifferscheid et Georgii Wissowa, Vindobonae, 1809 (C.S.E.L., uol. XX, p. 180-200). Paginae in margine adnotauimus sub siglo *V*.
- Diercks* editio Gerardi Frederici Diercks, Bussumii, 1947.
- Evans* editio Ernesti Evans, Londonii, 1953.
- Gomperz* Henricus Gomperz, *Tertulliana*, Vindobonae, 1895.
- Hartel* Gulielmus von Hartel, *Patristische Studien*, IV, Vindobonae, 1890 (*Sitzungsberichte der Kais. Akademie der Wissenschaften in Wien, Philos.-hist. Classe*, Bd. CXXI, Heft 14).
- Kroymann* Aemilius Kroymann, *Quaestiones Tertullianae criticae*, Oeniponte, 1894.
- Thörnell* Gösta Thörnell, *Studia Tertulliana*, I-IV, Vppsaliae, 1917-1926.
- x* cuiusdam uiri docti coniecturae et emendationes in *Miscellaneis Observationibus*, uol. III, 1, Amstelodami, 1713, p. 45-54; 208-223.

Pro summa in nos beneuolentia libere uti nobis concedit cl. u. G. F. Diercks editioe sua Septimii opusculi 'De oratione', ante annos sex Bussumii in Hollandia apud bibliopolas P. Brand euulgata. Cuius rei causa quam maximas gratias ei referimus.

Viri laudati textus recensionem exhibemus paucis immutatis ut in adnotationibus indicatum est, dum e locupletissimo apparatu ea selegimus quae nostro proposito utiliores inuenimus. Pauca etiam collegimus e nouissima editione Ernesti Evans eiusdemque ex adnotationibus. Item semper in apparatu signatur ubi haec nostra textus recensio discrepat a laudatis editionibus et ab illa quae Vindobonae prodiit anno 1890 in C.S.E.L.

DE ORATIONE

V 180

I. 1. Dei spiritus et Dei sermo et Dei ratio, sermo rationis et f. 166^v ratio sermonis et spiritus utriusque, Iesus Christus, Dominus noster, nouis discipulis noui testamenti nouam orationis formam determinauit. Oportebat enim in hac quoque specie nouum uinum nouis utribus recondi et nouam plagulam nouo adsui uestimento. Ceterum quicquid retro fuerat, aut demutatam est, ut circumcisio, aut suppletum, ut reliqua lex, aut impletum, ut prophetia, aut perfectum, ut fides ipsa. 2. Omnia de carnalibus in spiritalia renouauit noua Dei gratia superducto Euangelio, expunctore totius retro uetustatis, in quo et Dei spiritus et Dei sermo et Dei ratio approbatus est dominus noster Iesus Christus, spiritus, quo ualuit, sermo, quo docuit, ratio, quo † uenit. Sic igitur <oratio> a Christo constituta ex tribus constituta est: ex spiritu, quo tantum potest, ex sermone, quo enuntiat, <ex ratione, quo reconciliat>.

3. Docuerat et Iohannes discipulos suos adorare; sed omnia Iohannis Christo praestruebantur, donec ipso aucto — sicut idem Iohannes praenuntiabat illum augeri oportere, se uero deminui — totum praeministri opus cum ipso spiritu transiret ad Dominum. Ideo nec extat, in quae uerba docuerit Iohannes adorare, quod terrena caelestibus cesserint. *Qui de terra est, inquit, terrena fatetur, et qui de caelis adest, quae uidit, ea loquitur.* Et quid non caeleste, quod Domini Christi est, ut haec quoque orandi disciplina?

4. Consideremus itaque, benedicti, caelestem eius sophiam, imprimis de praecepto secretae adorandi, quo et fidem hominis exigebat, ut Dei omnipotentis et conspectum et auditum

I, 2 cfr Ioh. 1, 1; Rom. 1, 4. 4 Matth. 6, 5 sqq.; Luc. 11, 1 sqq. 6 cfr Matth. 9, 16 sq.; Marc. 2, 21 sq.; Luc. 5, 36 sqq. 8 sq. cfr Matth. 5, 17. 17 Luc. 11, 1. 19 sq. Ioh. 3, 30. 20 sq. cfr Matth. 11, 13; Luc. 16, 16. 22 sqq. Ioh. 3, 31 sq. 27 Matth. 6, 5 sq.

I, 1 De oratione] *A m. saec. XVI* 2 dei usq. rationis] in *A* primam lineam expleat, litteris grandioribus exarata 3 utriusque] *x*, utrumque *AB*, utrumque *Evans* dub. 4 nouis] *Pam.*, nobis *AB* orationem *A* 5 speciae *A* 14 quo uenit] *AB*, qua uenit *Iun. RW*, qua promouit *Lat.*, quo interuenit *Evans, fort.*: quo fuit sic igitur oratio] *Rig.*, sic igitur *AB*, sic oratio *Gel. Evans* constituta] *AB* (non delendum nec immutandum puto, cfr Thörnell, *Studia*, I, p. 72 sq.), instituta *x, Evans* 16/16 ex spiritu, quo tantum potest, ex sermone quo enuntiat] *Diercks*, ex sermone quo enuntiat (enunciatur *AB*), ex spiritu quo tantum potest *cel.* 16 ex ratione quo reconciliat] *Evans, dubitanter admistimus, om. A B Gel.*, ex ratione qua docetur *Pam. RW*, ex ratione qua suscipitur *Vrs.*, ex ratione quo *** *Diercks, fort.*: ex ratione quo prodest, in *A* per homoioteleuton cum potest *l. 15 omissum* 18 ipso] *B, om. A* 27 precepto *A* ut saepe